



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Vigésimus. Quod quanto magis à tam perfecta operatione ad reflexas, medias, aut infimas species contemplatio dilabitur, tanto imperfectius quoq[ue] diuinitas repraesentatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

ARTICVLVS VIGESIMVS.

Licet [creatura intellectualis quæ Dei substantiam videt, summam immutabilitatem consequatur;] cum tamen nulla actio viatoris diu in suo summo duret, & intellectui sit naturale, rationis species, & phantasia simulachra intueri: & [anima à b contemplatiua vita, infirmitatis suæ pondere victa lassetur, & tantò celerius labatur, quantò magis claustra supergrediens, super semetipsam ire conatur.] ac etiam [intellectus non solum intelligat intelligibile, sed intelligat etiam se c hoc intelligere] hinc [quantumcunque in amore audeat spiritus, cum tamen seipsum animaduertit, d inter se, & Deum discrimen, & diuersitatem sentit.] mentes enim si fortè dum Deum cognoscunt non mediocriter; interim tamen ament aliud, vel mediocriter: statim cum Deo ad aliud mouebuntur. & idè ad qualemcunque speciem, & quacunque de causa dilabatur mysticus, semper ad eius, ad quod prolapsus est, naturam, & conditionem, representationesque proportionatas, suspicit, reflectendo aspicit, & plus minusue afficitur; sicut in specie simplicis intelligentiæ perfectius, quam in ratione, & perfectius in ratione quam imaginatione, vel sensu.

& cum [in intellectu e non remaneat species, nisi quando actu consideratur,] necessariò quantò magis ad reflexas, medias vel infimas species dilabatur, tantò imperfectius quoque diuinitas representatur.

Ad hæc tamen non infertur, amoris intensionem non remanere, aut cum infima aliqua specie vehementer excitari non posse. nam aliquando in minimis magis, quam in maioribus mouemur; & cum nos in amoris diuini schola magis voluntatem quam intellectum consideremus: idè tum [hoc est maius esse f quod est melius esse.] Vndè etiam consequenter dicimus,

Quod sint interim mystico perfecto omnia bona valdè, siue suprema, siue media, siue infima sit operatio.

ARTICVLVS VIGESIMVS PRIMVS.

Iam verò licet quantò mysticus ad inferiores species dilabatur, tantò quoque diuinitas ei imperfectius representetur; hoc ipsum tamen arcani amoris exercitium, & prosecutionem non impedit: quamuis enim [contemplatio g non possit diu durare in suo summo, & prout attingit vniuersitatem diuinæ contemplationis,] tamen

Ggg

^a S. Thom. lib. 2. Cont. Gent. cap. 62. ^b Harph. ex Vercell lib. 1. p. 2. c. 46. ^c S. Thom. de verit. q. 10. de ment. a. 2. ^d Rusbroch. l. de perf. filio. Dei c. 3. ^e S. Thom. q. 10. de ment. a. 2. c. 1. ^f S. Thom. Cont. Gent. c. 43. ^g S. Thom. 22. q. 180. a. 8. c.